Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et a senoribus. Dederat autem traditor eius signum eis dicens. Quemcunque osculatus fuero: ipse est tenete eum et ducite caute. Et cum venisset statim accedens ad eum ait: Rabbi. Et osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in eum: et tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium: percussit seruum summi sacerdotis et amputauit eius auriculam. Et respondens ihs: ait illis. Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis: comprehendere me. Cottidie apud uos eram in templo docens: et non me tenuistis. Sed ut adimpleantur scripture. Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur illum amictus sindone sup nudo: et tenuerunt eum. At ille relicta sindone: nudus profugit ab eis. Et adduxerunt ihm ad summum sacerdotem: et conuenerunt omnes sacerdotes et scribe et senores. Petrus autem a longe secutus est eum: usque intus in atrium summi sacerdotis, et sedebat cum ministris et calefaciebat se ad ignem. Summi uero sacerdotes et omne concilium querebant adusus ihm testimonium: ut eum morti traderent: nec inuenebant. Multi enim falsum testimonium dicebant aduersus eum: et conue